

pro aliis acceperunt. Cumque sua et non aliorum lucra cogitant, ipsis se, quae privata habere appetunt, bonis privant. Hinc namque ad discipulos veritas dicit: non potest civitas abscondi super montem posita: neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Hinc Petro ait: Simon Johannis, amas me? Qui cum se amare protinus respondisset, audivit: si diligis me, pasce oves meas. Si ergo dilectionis est testimonium cura pastionis: quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, pastorem summum convincitur non amare. Hinc Paulus dicit: si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et si pro omnibus mortuus est, superest ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Hinc Moyses ait: ut uxorem fratris sine filiis defuncti, superstes frater accipiat, atque ad nomen fratris filios gignat: quam si accipere forte renuerit, huic in faciem mulier expuat, unumque ei pedem propinquus disalciet, ejusque habitaculum domum disalceati vocet. Frater quippe defunctus ille est, qui post resurrectionis gloriam apparens, dixit: ite, dicite fratribus meis. Qui quasi sine filiis obiit; quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes frater sortiri praecipitur: quia dignum profecto est, ut cura sanctae Ecclesiae ei qui hanc bene regere praevalet, imponatur. Cui nolenti in faciem mulier expuit: quia quisquis ex muneribus, quae perceperit, prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta Ecclesia exprobrans, ei quasi in faciem salivam jactat. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut disalceati domus vocetur. Scriptum quippe est: calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis. Si ergo ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem per calceamentum munimus. Qui vero suam cogitans utilitatem, proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Sunt itaque nonnulli qui ma-